



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectae

Sandini, Antonio

Bambergae, 1753

CCXLVIII. Clemens XII. Anno Christi 1730. Caroli VI. 19.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

CCXLVIII.

CLEMENS XII.

ANNO CHRISTI 1730.

CAROLI VI. 19.

QUINQUE ferè mensium spatio per
 irritas contentiones absumpto,
 tandem IV. Idus Quintil. Pontifex
 creatur *Laurentius Corsinus* Florenti-
 nus, annum ætatis agens nonum &
 septuagesimum, qui simul ad reno-
 vandam memoriam, simul ad æmu-
 landam virtutem magni Pontificis
 Clementis XI. à quo adscriptus fue-
 rat in ordinem Cardinalium, *Cle-
 mens XII.* appellari voluit. Is ma-
 gnificentia deditus ac sumptuosus
 bono publico, opera plurima con-
 struxit, refecit, absolvit. Namque
 frontem Basilicæ Lateranensis ædifi-
 cavit, atque intus in ea sacellum ab
 suo nomine *Corsinum*, in quo sibi po-
 suit mausoleum porphyreticum.
 Facie itè novâ exornavit. Eadem
 S. Joannis Baptistæ Florentinorum
 Ecclesias Pueri Jesu ac SS. Celfi &
 Juliani refecit, & hanc quidem à
 fundamentis. Vias Urbis stravit
 lapi-

lapide quadrato, vias quoque Con-
sulares ferentes Romam munivit.

Palatii Quirinalis equile ab Innocentio An. 1730.

XIII. cœptum absolvit. Ejusdem Pa-
latii latus terminavit Familiæ Pontificiæ An. 1732.

domicilio novis Ædibus amplificato. La-
tiorē viam, Romantque fori prospectum, An. 1733.

disjectis domibus ignobilem vicum insiden-
tibus, aperuit. Domum administris An. 1734.

Pontificiæ ditionis negotiis consultandis,
atque brevioribus Epistolis, levis arma- An. 1735.

turæ, & thoracatorum equitum turmis
à fundamentis extruxit. Aquam Virgi-

nam copiâ & salubritate commendatam
culto magnifico ornavit. Viâ iatæ par- An. 1736.

tem disjectâ ædium prominentiâ laxavit
atque direxit. (1) In eo etiam infi- An. 1738.

gnem laudem adeptus est, quod ad
avertendas ab Ravenna, ejusque agro in-

undationes Bedesin fluvium cataractâ
multiplicis usûs extructâ in novum al-

veum deduxit, in eundemque Vitim im-

misit, quod Romanam viam eo alveo in-

terruptam magnifici operis ponte commi-

sit, quod ab Urbe ad mare per septem
millia CCLXVIII. passus fossam perdu-

xit, in eamque corrivatis aquis faciliori
mercium transvectioni prospexit. (2)

Idem

Idem portum Anconæ paravit & valetudinaria. Statuas operis antiqui magno pretio comparatas in Capitolio constituit, sculptorum, pictorum atque eruditorum commoda. In porticu Ecclesiæ Lateranensis sublatâ statuâ, quæ ibi erat Pontificali effigie, veterem posuit Magni Constantini Cæsaris conditoris ejusdem Basilicæ, quæ idcirco *Constantiniana* dicitur ad hodiernam diem. Casenatibus singularia beneficia contulit, quorum præclara monumenta litteris consignata jampridem publicata sunt. Anno 1735. die 19. Decembris Cardinalem creavit Ludovicum Antonium Archi-Episcopum Toletanum Regum Hispaniæ Philippi V. & Elisabethæ Parmensis filium natum Anno 1727. XVI. Kal. Julii. Anno 1736. Divorum numero inferuit Vincentium à Paulo, Joannem Franciscum Regis, Julianam de Falconeriis, & Catharinam Fliscam Adurnam. Anno 1738. mense Junio splendidè ac magnificè excepit, ac per Legatum suum deducendam curavit Mariam Amaliam filiam Electoris

ris Saxonici ac Regis Polonorum,
nuptam Carolo Regi utriusque Sici-
liæ fratri germano memorati Ludo-
vici Antonii Cardinalis. Id etiam
egit causâ honoris erga Reginam,
quòd sellam suam ei obviam misit
Otriculum usque. Obiit Pater fan-
ctissimus plenus dierum exacto Pon-
tificatûs ferè decennio 6to Februarii
Anno 1740.

ANNOTATIONES.

(1) Sunt hæc verba ipsa inscriptionum,
quæ leguntur Romæ.

(2) Ex inscriptione in basi statuæ, quam
huic Pontifici in foro Ravennates Anno
1738. erexêre.

CCXLIX.

BENEDICTUS XIV.

ANNO CHRISTI 1740.

CAROLI VI. 29.

IN sedem sex mensibus vacuam le-
vatus est 17mo Augusti anni hu-
jus 1740. Prosper de Lambertinis
Cardinalis Episcopus Bononiensis, &
insigni Virtute, & editis in lucem
libris